



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

117. An reservato peccato carnis contra castitatem externa includantur visus, ornatus, &c. procedens ex affectu interno? Et an talia peccata non possint reservari, neque subijci excommunicationi? Ex ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

RESOL. CXVI.

An Superiores Regularium possint sibi reservare tactus impudicos & oscula, literula, munuscula, &c. Ex p. 3. tr. 2. Refol. 118.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam tenet Tamburinus de iure Abbat. tom. 2. disp. 13. quest. 2. num. 3. ubi sic ait. Aliquando in eadem supradictorum casuum decisione potest etiam Superior sibi alios casus reservare, ut exempli gratia in materia lapsus carnis poterit sibi reservare tactus impudicos, oscula, literulas, munuscula, &c. Ita Hieronymus Sorbo in annot. ad compend. privileg. ver. absolutio, affirmans hoc à Clement. VIII. sibi declaratum fuisse. Hæc Tamburinus loco citato.

2. Sed merito negativam sententiam docet novissimè noster P. Leone offic. confess. tom. 2. recollect. 11. num. 132 quia actus illi, nempe tactus impudici, oscula, &c. nullo modo comprehendi possunt sub significatione, & verbis Clem. VIII. videlicet *lapsus carnis voluntariè opere consummatus*, quæ quidem verba sonant consummationem actus in sua specie fornicationis, v. g. molliciti, &c. vide etiam Suarez de Relig. tom. 4. lib. 2. cap. 18. num. 12. & Molfesum in sum. tom. 1. tract. 7. cap. 20. n. 46. & 104.

RESOL. CXVII.

An reservato peccato carnis contra Castitatem externam includantur visus, ornatus, &c. procedentes ex affectu interno?

Et an talia peccata non possint reservari, nec subiaci excommunicationi? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 163.

Sup. hoc visu, vel aspectu in R. leg §. vic

§. 1. **A**d hunc casum ita respondet Turrianus in select. disp. part. 2. disp. 31. dub. 6. 1. Aliqui clarè pronuntiant, tale peccatum non esse reservatum, quia talis visus non potest ab aliis cognosci, & fieri potest tali modo, ut non sit signum affectus interni, & intentio reservantis videtur ea esse, ut non fiat actus externus in ea materia, qui posset significare internum affectum. Ego verò existimo tale peccatum esse reservatum, quando reservatio cadit super omnem actum externum libidinosum procedentem ex voluntate libidinosâ, quia talis est visus prædictus, neque est fundamentum ad limitandum intentionem reservantis, & oppositum neque est probabile, neque tutum: suppono autem tale peccatum posse reservari. Sic ille, & ita etiam docet in dub. 52. sed more suo excedit Turrianus in censura supradictæ opinionis, unde ex eadem inclita Societate Hentiquez lib. 6. cap. 24. num. 6. in glossa lib. 1. & Iacobus Granada in 2. 2. D. Thom. contr. 1. tract. 15. disp. 13. num. 14. docent, non reservari neque subiaci excommunicationi peccatum, nisi quoddam secundum quantitatem operis externi, & non sola relatione ad consensum internum, certò constet esse mortale.

RESOL. CXVIII.

An pollutio cogitando tantum turpia sit peccatum reservatum; & quid, si sequatur ex aspectu nimis libidinoso, quando Superiores reservant pollutionem voluntariam? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 61.

§. 1. **A**liquando Superiores Regulares reservant sibi pollutionem voluntariam, etiam sine

complice, quæritur an si sequatur voluntariè ex turpibus tantum delectationibus morosis, vel ex aspectibus libidinosis, sit peccatum reservatum? Et ad hæc dubia respondet Georgius Kiane in tract. de cast. reserv. part. 3. cap. 6. num. 6. ubi sic ait: Quæres primo, vtrum Religiosus cogitando turpia, iisque morose delectando in pollutionem prolapsus sine proprii corporis aspectu, aut contactu libidinoso, vilique motione instrumentali casum reservatum incurrat. Respondet Suarez affirmative, sed non improbabili- ter alij negant, putant enim quòd ad huiusmodi reservationem non solum externa actio in sua specie consummata, sed etiam externa respectu meliorum requiratur & procuretur, non tantum per interiorum delectationem, tanquam causam adæquatam, sed potissimum per opus externum, v. g. libidinosum contactum. Et quemadmodum ille non incidit qui tangit personam, quantumcumque libidinosè exercendo varios impudicitia actus absque feminis profusione, aut copula, quamvis mortaliter peccet, ita quoque qui sine tactu proprii corporis, aut alio instrumento ob veneram turpitudinem mentalem polluitur, nisi perveniat ad consummationem illius actus impudici, quem peccans intendit, vel in quem natura sua ordinatur, id est copulam carnalem.

2. Quæres secundo, vtrum aspectus libidinosus in feminam directus, ex quo apta est sequi pollutio, sit casus reservatus; Respondeo primo si aspectus aliqua quidem libidine quasi inadventerem informatus à pulchritudine faciei, aut formæ femineæ, aut personæ superbiè conuersitæ proveniat, non esse vti nec mortalem, ita neque reservatum. Ratio est quòd huiusmodi aspectus de se leuiter tantum in libidinem prouocet. Respondeo secundo, quando in gravem tentationem, & inde in pollutionem probaretur, nec dum culpam reservatam probabiliter committi, etiamsi ex prava affectione & intentione ad libidinem concitaretur ob affectum corporis externi quòd per se oculus impudicus non possit continè propinquè lapsus carnis opere consummatus. Respondeo tertio, aspectus denudati in femina corporis, aut portioris partis ad libidinem allicientis, in qua impudicitia locum tenet, cum pollutione in actus videtur sine præuis osculis, aut contactibus, casus reservatus. Ita Kiane loco citat. Vide etiam Homobonum de Bonis de cast. reserv. part. 3. cap. 5. except. 6. Molfesum in sum. tom. 1. tract. 7. cap. 20. num. 104. & Coriolanum etiam de cast. reserv. part. 2. cap. 9. §. 10. num. 15. asserentem pollutionem ortam ex turpibus cogitationibus nunquam esse casum reservatum, sed tantum peccatum mortale.

RESOL. CXIX.

An casus reservati desinant esse tales, si Superior Regularis reservans munere suo functus fuerit?

Et quid in nostra Clericorum Regularium Religione? Et cur si in inferitur, quòd excommunicatio ab homine cessat, cum moritur, qui eam fulminavit. Ex p. 3. tr. 2. Refol. 23.

§. 1. **N**on esse amplius reservatos existimo ex doctrina, quam asserit Iacobus de Granada in part. 2. D. Thom. constit. 7. tract. 11. disp. 7. num. 6. ubi sic asserit. Si Praelatus præcipiat vni subdito, aut toti Conuentui, vel provincie aliquid, & ei subditus paruerint, dum viueret, eo ipso quòd moriatur, vel ab officio amoveatur, cessat obligatio præcepti, licet & cessat excommunicatio ab homine, cum moritur, qui eam fulminavit. Ita ille.